

Programma quo novi candidati solenni de amaris dissertationi praelusit.

Contributors

Schelhammer, Günther Christoph, 1649-1716.

Publication/Creation

Jena : Krebs, [1692]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/txr7q7sz>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DECANI FACULTATIS MEDICÆ
GVNTHERI CHRISTO-
PHORI SCHELHAMMERI,
Med. Doct. Anat. Chirurg. & Botanic. Prof.
Publ. Acad. Leopold. N. C. Adjuncti & Recup.
Ital. Soc.

PROGRAMMA

quo
NOVI CANDIDATI
*Solenni de amaris dissertationi
prælusit.*

J E N Æ,
LITTERIS KREBSIANIS.



A. & Ω.

ARs sanandorum hominum, ut in fine suo subjecto inferendo, ut loquuntur Philosophi, haut secus ac reliquæ, siue liberales siue illiberales habeantur, tota occupata est: sic ad opus suum perficiendum, non minus quam istæ instrumentis opus habet. Iis verò non paucis, nec generis ejusdem; quando & indoles morborum, quibus à naturali constitutione corpora desciscunt, admodum est varia, ac prope infinita. Cum enim illa, quibus constamus, vivimusq;, ex partibus componantur inter se dissimillimis: duris, mollibus; laxis, strictis; fibrosis, glandulosis; humores insuper contineant neutiquam sinceris, sed maxime dissimilares, aliaque fluida subtilissima, multis modis unumquodq; horum lædi posse, nemo non intelligit, neque uno modo restitui. Unde est factum, ut solidis, fluidis; metallicis, aqueis, terreis; plurimisq;, differentibus modis, instructi esse cogantur medici, si modo, ut par est, undiquaque humanæ saluti, cum fructu succurrere velint, & tam tincturis, essentiis, liquoribus, spiritibus, elixiriis, pulveribus, salibus, quam ferris, scalpris, malleis, cultris, forcipibus, acubus, annulis, cannulis, globulis; denique quis ea enarraret omnia? habeant opus.

Verum isthæc, tanquam duriora & quæ, cum in oculis manibusq; sint, crassioribus edolandis dicata, quandoquidem plus exercitationis habent, quam judicii, Chirurgis reliquerunt. Ipsi nobiliora quæ vel intimos partium recessus expediunt, vel fluida corrigunt atq; emendant, sibi servarunt dirigenda. Talia enim hæc sunt, ut nemini nisi Philosopho perspecta ac cognita esse possint; cum eorum agendi vis ac energia nequaquam obvia sit, sed longo demum usu ac diligenti observatione deprehendatur: ea insuper sint efficacia, ut, quemadmodum minima mole prodesse insigniter, sic per-

perperam porrecta, eodem minimo pondere haut levem inferre noxam, & paulo momento omnia corrumpere valeant, soleantq;.

Sunt autem, quæ in corpus ipsum, ore hausta, demittuntur, duum maxime generum: Vel enim evacuant, & sub liquidi cujusdam forma, undeunde aliquid eliminant; vel alterant, & humores, sive consistentia, sive acrimonia, sive alio quocunque modo infestos ac rebelles domant, & ad pristinum genium, naturæ familiarem reducunt. Quorum illa quidem vario rursus modo suum opus perficiunt; hæc vero post calorem & frigus maxime omnium iis qualitatibus sensibilibus constant & agunt, quos sapes appellamus; vel potius particulis quæ per eas linguam vario pungendo afficiendoque modo, suam præsentiam testantur. Sunt enim illæ ipsæ, quæ vel incidendi, vel incrassandi, vel attenuandi, diluendi, imo & calefaciendi, constringendi, fundendi, aperiendi, roborandi, quacunq; demum alia vi atque energia, sanguinis & ferri consistentiam alterant aliterve disponunt: quo obtento plerique morborum interni sponte postea cessant, & victas manus porrigunt. Quare si quicquam aliud, hæc maxime omnium postulant, ut ad eas Medicus rationalis attendat, suamque eò omnem convertat sollicitudinem: his enim perspectis, non de omnibus modo usitatis, sed ignotis quoque & nunquam visis simplicibus medicamentis decernere, & quid valeant, tuto pronunciare potis est: Ex quo multa reliquis ignota cognoscet, multa aliis nunquam ausa, sine periculo perficiet: denique se talem exhibebit, qualem perfectum medicum esse oportet: qui non pendeat à receptorum quorundam formulis, vel guttulis paucorum liquorum, sed varia quæ usurpari aliis eo modo antea non vidit, intrepide miscet, neque ita aget, quasi fortuito & occulta quadam qualitate, aut, quod pene idem est, specifica quam vocant vi, isthæc fierent: quod verum si esset, frustra sane jactarent Medici suam medendi methodum, aureum illud monile, atque unicum ornamentum, quo veri ac genuini artis magistri, à spuris atq; opprobriis suis, jactatoribus ac blateratoribus inanibus dignoscuntur, & qua fisci, *δηλεις καὶ ἀρεστέυτητος* soluti, confidunt arti suæ, ut solent qui rerum omnium auctorem Naturam, magistram suam sequuntur, & illam vicissim sequacem habent, qui illam audiant, & illam dicto factoque audi-

cientem habent. Ut enim sapores ex intima particularum natura, & forma ipsarum essentiali immediate, & quamproxime oriuntur, ita de his ea certitudine testantur, qua effectus de causa sua proxima & inseparabili alias testari solet: ut ubicunque se sapores offerunt, ibi etiam subesse, & quidem præsentem, ex quibus effectus is, experientia jamdudum exploratus, expectandus unice est, certo sit colligere. Et quamvis non omnino liceat invertere sententiam, ut quoties nihil insit saporis, nullius rem efficaciam ac tuta esse omnia, possit asseverari; quod unum genus acerrimi veneni, & deleterii nescio quid succi alentis, qui, insipidus cum sit, liquat arroditque subito omnia, Natura in quibusdam occultavit, & quasi in insidiis posuit, id quod jam ante bis mille & sexcentos circiter annos advertit Theophrastus Eresius; tamen & in paucissimis hæc sunt, & in plerisque aliis patent indiciis, nobis non ignotis. Cætera tam sunt vera, ut non *Galenus* modo noster, *librum IV.* de simplicium facultatibus integrum iis investigandis dedicaverit, sed ipsum etiam *Platonem* hæc res habuerit sollicitum: cujus de his *Philosophia* legere est in ejusdem *Galenii* opere, *Lib. 1. cap. 37.* ne dicam de Theophrasto modo laudato, qui incomparabili illo de causis plantarum opere, tam pulchre ac erudite de his differuit, ut vix quicquam elegantius legi possit.

Quam ob rem mirari satis non possum, Chemicos ea, tanquam sibi debita, Galenicis & Philosophis hodie velle erepta, cum in manibus hæc sint omnium; eorum autem hætenus, quantum quidem scio, nemo extiterit, qui de industria de his ac universim ediderit quicquam, etsi de alcali & acido, & quod enixum inepte vocarunt, nota sint, quæ nonnulli eorum sint ausi. In quibus tamen quæ ad facultates medicamentosas pertinent, sunt paucissima, quæ non jamdudum sub nomine eorum quæ sunt tenuium partium, opere citato *Galenus* exposuit: De salso autem, acido, amaro, austero, acerbo, dulci, altum pene usque fuit in illa schola silentium, cum tamen aliorum libri de illis non fileant, certe nemo eorum ne attigerit quidem ea, quæ *Galenus Lib. IV. citato*, & reliquis ejus classis passim exposuit: qui etiam *Lib. V. cap. 3. à partibus & morbis medicamentorum facultates nominare, empiricorum esse, à qualitatibus vero & saporibus, virum potissimum rationalem decere*, disertissimis verbis asse-

asseruit. Ut sane, si ex his colligatur rectè, Galenus omnium, qui extiterunt, in hoc genere chemicorum fuerit maximus, necessum sit. Sed quicquid de auctoribus fiat, parum interest unde petas, modo rem teneas probe: quippe non quis dixerit, sed quam verè & sapienter dixerit, expendendum esse, dudum monuere viri eruditi. Sunt autem rerum sapidarum aliæ suaves, aliæ ingratae admodum. Inter illas primas tenent dulcia, in his amara reliquis palmam disputant: quarum illa quidem maxime videri possent convenientia naturæ, hæc adversa: cum secus longe sit. Est enim ubi multo plus nocent illa, juvant hæc, egregia sua virtute, quam occultant linguæ, intus verò demum aperiunt. Hinc ne Coqui quidem vel ab his protenus abstinere, vel illa sola admittunt, sed condimentis variis ita inter se temperant omnia, ut unicuique suus honos, laudesque maneant.

Quare non est, lector benevole, quod Clarissimi Doctorandi nostri,

THEODORI RENATI ROMMELII

amara tibi hodie apponenti epulas repudies: etsi sine condimentis aliis. Facit ille, non quod coquum, mercenarium hominem, & adulatorem Palati, sed quod cordatum Medicum, Servatorem generis humani, (quod ille sæpe corrumpit,) facere æquum est, nobisque jamdudum concessum, nemini alii temere licitum: Nam

- - - *Quis, nisi fastidita Masbaon,
Fercula parat, dubiasq; docet dediscere cœnas?*

Quin ille optime consulit rei medicæ, dum materiam nostratibus non admodum tritam examinare, ejusque in mortalium genus extantia beneficia atque utilitates uberius explanare satagit. Qua in re dignum se præbet optimi parentis, cujus non exigua in idem merita prostant, & genuinum filium.

Natus enim est in civitate Libera Imperiali Ulma, Sveviæ metropoli, Die XXV. Septembris, Anni Salutis nostræ, M DC LXIX. Patre, PETRO ROMMELIO, Philos. & Medic. D. & Reipublicæ Patriæ Physico & Practico ord. famigeratissimo Matre verò, virtutum omnium genere, sexum hunc ornantium, conspicuâ, ANNA ELISABETHA, natâ JACOBÆA. Providâ horum optimorum parentum curâ summo studio educatus fuit: Fundamenta pietatis & literaturæ in Gymnasio quod

ibi est, celeberrimo sub fidelissimis Præceptoribus jecit mature, cursumque per singulas Gymnasium illud constituentes Classes feliciter & laudabiliter absolvit. Ex quibus extollit præprimis summam curam atq; industriam virorum Clarissimorum & excellenter doctorum GVILIELMI DIEZII Philosophiæ Doctoris & Rectoris Gymnasii, Eloquentiæ & Linguae Græcæ P. P. ut, & M EVERHARDI RUDOLPHI ROTHII, Con-Rectoris, tum Historiar. & Moral. nunc verò Hist. & Logices Professoris meritissimi, quo moderante etiam, antequam classicis lectionibus valediceret, de INSOMNIIS Orationem, frequentissimo Auditorio publicè recitavit. Absoluto cursu Classico, Anno M DC LXXXVII. Mense Aprili, Tubingam missus, ibique Rectore Magnifico DN. GRAVE J. U. D. & P. P. in civium Academicorum numerum receptus est, unde domum reversus, studia Philosophica ulterius sub Præceptoribus suis antiquis, quos plurimum amabat, & quorum summam fidem ac benevolentiam erat expertus, alacriter continuavit, ultra jam laudatos Dn. Professores, etiam plurimum Reverendos, atque Clarissimos Viros & Professores, D. M. Joh. Frikium, p. m. & Honoldos, illum in Logica, hos in Mathemat. & Physicis audivit: simul etiam privatim sub auspiciis & manu ductione paternâ studium Medicum his ad socians, qui eum in Physiologia, Institutionibus Medicis, & Anatomicis solícite instruxit. Cui etiam ante, puer adhuc, rusticæ fœminæ, bimestrè jam gravidæ, (quæ cum graviditatem præfractæ negasset, infami morte perierat) cadaver in gratiam tam Chirurgo- rum quam obstetricum, Amplissimi Magistratus indultu secanti, & publice ad leges Anatomicæ artis demonstranti, curiosulus adstitit, embryonemque in hunc usque diem sine detrimento asservatum, eximere vidit; herniarum deinde, mammarum cancrofarum, nec non cadaverum variis morbis casibusque extinctorum sectionibus aliquoties, non sine emolumento interfuit, amoremque erga studium anatomicum, pro ætatis quidem ratione, non parvum inde concepit. Insuper etiam officinas Pharmaceuticas eodem jubente & manu ducente, sedulò frequentavit, modumque medicamenta præparandi ac dispensandi diligenter observavit, adeoque fundamenta non contemnenda cum ad nos veniret, secum attulit. Quod factum est, consilio & jussu parentis, Anno M DC LXXXIX. d. XXV.

d. XXV. Septembri, Rectore Magnif. Viro maxime Reverendo, Amplissimo atque Excellentissimo DN. JOHANNES GVILIELMO BAJERO, SS. Th. Doctore & P. P. celeberrimo. Ubi sine mora cepit Studiis Physicis ac Medicis ulteriorem navare operam; uti quidem in Physicis & Geneanthropologicis lectionibus magno cum fructu audivit Excellentissimum DN. CASPAREM POSNERVM, P. P. parique utilitate B. D. AUGUSTI HENRICI FASCHII discursus Anatomicos tum publicos tum privatos adhuc degustare licuit; Reliquorum vero Professorum Medicorum qui adhuc vita fruuntur, audivit singulos, nemine neglecto. In primis igitur laudibus extollit Magnifici DN. Senioris nostri D. RUDOLFFI WILHELMII KRAUSII eruditissimos discursus publicos, quibus rem omnem Pathologicam ac Pharmaceuticam explanare aggressus est, ex iisque magnam lucem iis quæ alibi legit atq; audivit, accensam testatur. Nec minus prædicat insignem Excellentissimi atq; amplissimi D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII doctrinam; quem publicè in syllabum materiæ medicæ selectioris commentantem, de medicamentorum facultatibus & virtutibus, de compositione extemporanea, & Præparatione medicamentorū, tum Galenicorum tum Chemicorum juventuti præeuntem, magna contentione animi secutus est, ejusque summam in his dexteritatem ita veneratus, ut vel unam horulam negligere, religioni duceret. Privata item ejus informatione in tradendis artis fundamentis, explicatione Hippocratis aphorismorū, in noscenda & feligenda materia medica, in conscribendis formulis, manu-ductione ad praxin Clinicam, & universo artis ambitu diligentissime usus, summoque ardore eam complexus est. Virginei cadaveris profectionem etiam accurate administranti constans adstitit, sub ejusque Præsidio gemina vice in cathedra disputatoria comparuit, & primum, disputationem de INSOMNIIS, alterum vero specimen PATHOLOGICÆ DOGMATICÆ, Disput. X. De CAUSIS MORBORUM SOLUTÆ UNITATIS & SYMPTOMATIBUS IN GENERE defendendo, cum applausu auditorii, publice exhibuit. Nec exiguo cum fructu Nob. & Experientissimi D. WOLFFII, Prof. Extraord. lectiones de Morbis infantum, gravidarum frequentavit & excursionibus botanicis in dumeta vicinā instituenti se adjunxit. Mea quoq; qualicunque opera non infrequenter usus est & primum anatomica sub-

sub meritissimo antecessore meo cepta, felicissime, ut ait, continuavit: Dein Chirurgicas demonstrationes, & Osteologiæ ac Chondrologiæ explicationes, nec non lustrationes & botanicas excursions, quam diligentissime sectatus est, & profectionibus tum humanorum tum brutorum cadaverum publice & privatim sedulo interfuit, uti & lectionibus botanicis in horto tota hac æstate & altera continuatis.

Non autem in his substitit, sed opponentium quoque subsellia publice, cum alias, tum solennibus disputationibus habitis, sæpenumero occupavit, ut non ignotus Patribus academix, vel hoc nomine esse queat. Neque in anatome sibi ipsi defuit, sed quæ à nobis vidit, in iis subinde imitandis & propria industria deprehendendis præclaram operam collocavit. Quibus tot tamque laboribus, ac studio indefesso effecit etiam, ut, cum se sisteret nuper facultati, supremos honores ambiens, non potuerit id nobis, quibus de his omnibus constabat, accidere ingratum. Itaque ad consueta examina admissus est: in quibus ita se nobis probavit, ut dignus iudicatus sit qui ad altiorem cathedram moveret gradum. Cujus privilegii obtinendi ergo cum die post hunc III. Disputatione Inaugurali, quam vocant, quod nobis intra privatos parietes, id nunc omnibus publice sit ostensurus, illi ut Proceres academix, & quotquot tangunt eruditionis præmia, frequentes adesse, & applaudere felici industriæ non graventur, publico collegii Medici nomine ea, qua par est humanitate ab omnibus ac singulis contendo.

P. P. A. R. S. M DC XCII. d. 14. Aug.

L. S.